DE

S. SPIRITVS ADVENTV.

ORATIO

HABITA

In Sacello Pontificio.

AD SANCTISSIMVM D. N.

INNOCENTIVM XI.

PONT. MAX.

A COMITE THOMA GVNDACCARO
DE STAREMBERG
Sem. Rom. Conuict.

Romæ, Typis Ignatij de Lazeris. 1682.
Superiorum Permissu.

INNOCENTIO XI.

PONT. MAX.

THOMAS GVNDACCARVS DE STAREMBERG FELICITATEM.

FErtur Socrates Princeps Philoſophorum, Beatiſſime Pater, de profano Amore loquuturus in amicorum conſeſſu vultum præ verecundia obuelaſ-

lasse. Quid ni ego penitus erubuerim, de Amore, & quidem Diuino, cum dicerem coram Summa Maiestate? eadem verò tinctura pudoris, optimus nempe Orationis meæ color, has ipsas paginas inficiat necesse est oculos tuos subituras. Quamquam non tam iudicij, quam necessitatis fuit offerre tibi Iudicium Amoris: nam qui olim tanto cum terroris apparatu Apostolorum capita insedit, vt inde humanum genus argueret, is modo, tranquillus tamen & blandus ex venerabili ore tuo Ius dicit Orbiterrarum. Tu sane publicus Mundi Parens, licet eumdem effusè ames, iudicas tamen; imò tanto acrius iudicas, quantò amas ardentiùs; nequè enim excelsæ in te mentis aciem hebetat Populorum amor,

ſed exacuit ; nec Amorem aſperat Iuſtitiæ rigor , ſed intendit. Ipſa adeò Innocentij vita ſontes vſquequaque condemnat , nouoque illi ſupplicio puniuntur, criminum verecundia ; Denique cum idem ſis credendi , viuendique certiſſima norma , nec ſtare in Veritate poteſt, qui tuo iudicio non ſteterit, & tantò minus abſumus à ſumma virtute quantò propiùs tua exempla ſectamur.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patr. Sacr. Pal. Apost. Magist.

Io. de Ang. Arch. Vrb. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magist.

ORATIO.

Arguet Mundum de Peccato, de Iustitia, & de Iudicio. Ioan. 16.

PLuuius hic repentè de Cælo ignis, B. P., hic vehementis auræ fragor, videri fortaſsè poterant, aut ſeuera Numinis pompa descendentis in ſcelerum noſtrorum vltionem, aùt extremi terrarum coràm ſummo Iudice trepidantium anhelitus; niſi flammas illas experiremur placidas ac ſalutares, & vis iſta flantium ventorum, licèt exitium interminata, melioris demùm vitæ ſpiraculum foret. Eſto tamen; iudicium hoc dicatur, ſed amoris, qui cauſæ cognitor ſimul, & Patronus, parcendoque paritèr, ac puniendo

be-

beneficus sæuire nesciat, nisi amabiliter. Enimuero credideram vix fieri posse, vt bene Amori cum Iudicio conueniat. Difficillimum quippe, & portenti loco habebatur amare, & sapere, eumque iudicare, qui diligat; adeò vt priusquàm terris Amor illaberetur, necesse fuerit repetere Cælum æterni Patris corporatam Sapientiam, vel quasi mundus vtrumque non caperet, vel certè quia meliùs ab alterutro iuuaretur. Attamen licet hic iudicem agere vel Amori, imò non alteri licet quàm Amori.

Arguit ille Mundum de Peccato; verùm non vt puniatur Mundus de noxa, sed vt vindicetur à noxa. Nam cur putemus occupasse capita Discipulorum, nisi vt hominis aduersùs hominem rationem armaret? Ità sontes iudicat vt, rarò seueritatis exemplo, eosdem faciat suimet accusatores, & Iudices; Neque enim aùt iustiùs plecti poterant, aùt acerbius; quàm si penitùs introspicerent Bonitatem, quam læserant. Chariores equidem

dem nobis effici poteramus, poſtquàm in tantùm Cœlo charos aſpeximus, vt ipsā in nos Charitatem effunderet, niſi hoc idem nobis nos præſtaret inuiſos, auſos illam priùs odiſſe, quàm noſſe. Nouimus iam tandem; quique ſub ipſius magiſterio ſapientiæ nunquam ſapere didicimus, tàm citò erudimur antè Tribunal Amoris; quià nempè citò addiſcitur, quod diligitur, & ſanctiora Diuinitatis arcana celeriùs corde, quàm mente percipias. Nouimus, inquam; & licèt hoc ità nos delectet, vt torqueat, vtile tamen iucundumque tormentum eſt; nam eſſe rei deſinimus, vbi tales fateri nos cæpimus; & veniam eò faciliùs expreſſimus, quò minùs illam mereri intelleximus. Scio damnari à grauiſſimo illo morum Cenſore, quaſi interſerant contumeliam beneficijs, qui ſuis donis exprobrent aliena peccata, & maledictum potiùs eſſe, quàm munus, in quo vitium accipientis agnoſcitur. Muneri tamen Cæleſti plurima indè commendatio accedit, quod nobis obijcit flagitia

nostra, potentique tot linguarum facundia publica fit ingratissimi Adæ generis exprobratio.

Pulchrius tamen illud digniusque amore Iudicium, quo nos de amplissimis Christi meritis, eiusque gloriæ Iustitia conuincimur. Æquum sanè fuerat excipi sinu Patris emeritum filium; sed hoc ipso Vindicis erga nos Dei Iustitia splendescit. Tunc enim oculos mentis recepimus, cum nihil amplius haberet Tellus, quod spectaretur; atque hoc solùm nobis iam sapere prodest, quod impatientius feramus iacturam sapientiæ. Parcite, quæso vos, cordibus nostris vltrices flammæ. Satis iam superque de Christi absentia ac desiderio torquemur; quem incipientes amare, postquam per summum nefas è terris eiecimus, experimur in ipso crimine Criminis pœnam, iustissimumq. supplicij genus est, vt cùm præsentem oderimus Iustitiam, amemus absentem. Spectat illa libens è Cælo pœnitentiam nostram seram quidem, sed tantò magis acerbam, fruiturque

què noua iſthac Amoris vltione.

De Iudicio denique arguimur, quodquè fructuoſſimum nobis eſt, cum humiles, abiectiquè Iudicem conuenerimus, alacres ab eodem, erectiquè, & pluſquàm mortale ſonantes receſſimus. Quippe iudicante Amore cæpit pudere homines Iudicij ſui. Vilius nos æſtimabamus, priuſquàm iuſtum nobis pretium Amor imponeret: frangebat antea noſtrorum vim Animorum noſtri cognitio; At modò lance charitatis appenſas intelleximus vires noſtras, videntesque totam nobis adniti &, militare Diuinitatem nil arduum credimus, nil non obuium nobis, ac pronum. Denique conuitium facit Amori quiſquis ad excuſandam ignauiam obtendit ampliùs imbecillitatem naturæ. Gratiam igitur habeamus amantiſſimo Iudici, cuius triplici Iudicio conſtricti, aut clementer abſoluimur, aut feliciùs damnamur; quique hodiè palàm omnibus facit non eſſe ſibi curæ reorum vltionem, eſſe felicitatem.